Ad Quodlibetariam Quaestio medica.

Matutinis Concertationibus agitanda die Jovis 4. Januarii In Scholis Medicorum Parisiens.

M. Carolo Bunardo Doctore M. Praeside.

An Mulier naturae παρέκβασις?

Natura sublunarium partes nova individuorum sobole immortales vitam speciei conservat. hinc Elementa quatuor (exceptis illis hermeticorum sulphure, sale, mercurio) Ignis primum calidum, aer primum humidum, aqua primum frigidum, terra primum siccum, qualitatum dissidiis mixtionem & ineunt, & ad vitam generationem, quam intendit natura, concurrunt; & partes sunt mundi & compositi, in hoc et alieno, in illo et proprio loco; alienum tamen et Elementis asserunt; sunt enim perfectiora.

Ut & perfectorum genitrix natura, sic imperfectorum (licet haec abhorreat) Illa diuturno foret tempore, haec brevissimo, huiusmodi est mulier, monstrum, mola. monstra à Copia, Inopia, Confusione materiae, diversae speciei prava permixtione, Imaginationis et vis formatricis (à quibus natorum similitudo) Errore nascuntur. Mola Caro otiosa, in solo mulieris utero, non ex solo mulieris, sed et viri semine impuro et sanguine perfuso coacervatur.

Animalia quibusdam perfectionis gradibus inter se discrepant. quae à plantis longissime recesserunt; perfectissima. talis est homo, verum ea vir mulieri perfectior. Mares quippe calidiores ex calidiore semine in dextris (à dextris) generantur, celerius conformantur, articulantur, et moventur, tardius adolescunt, consenescunt, et moriuntur; solidiores habent carnes, variora cutis spiracula (unde pilorum λεόφων facundior proventus) audaciorem animum, ad iram propensiorem, et ad virtutes capessendas magis idoneum.

Ad perfectam viventium generationem tria necessario concurrunt; Incommutabilium sexuum discrimina, Mutuus Congressus (excitatus ex Daemonis) et seminis utriusque parentis cum voluptate perfusio, simulque permixtio. Semen vivum et animatum est, licet recessit à solis corporibus partibus necessariis et principibus deciduum. Mas primum efficiendi principium concedit; foemina locum recipiendi concipiendique seminis, materiamque ei fovendo, alendo, augendoque confert sanguinem menstruum tota natura bonum, quamvis morbillorum et variolarum Causam: quo cessante vel utero vel nimium fluente nulla fit conceptio.

Ex semine utriusque parentis optime Cocto, syncero, Calido, temperatius figurato, et excepto, et flante Aquilone caelorum saluberrimo frigido sicco, facto Congressu, florenti parentum aetate, et viribus Integris Mas perfecta victricis naturae Soboles educitur. Ex Imbecillo frigido et pituitoso semine fractis parentum viribus, aetate seniore (aut seniore), perflante austro, morborum omnium victore, Calido humido mulier πεπηρωμένον ζῶον — victrice natura producitur. Si majus vitium, monstrum: si maximum, mola.

Ergo Mulier naturae παρέκβασις.

Afferebat Renatus Chasterius Vindocinensis. Anno Salutis. 1607.

D. Doctores disputaturi.

M. Joannes Riolan Prof. reg.
M. Andreas le Gros.
M. Joannes Mercier.
M. Michaël Coutain.
M. Stephanus Cotion.
M. Guillelmus l'Escaillon.
M. Bartholomeus Perdulcis.
M. Joannes Martinus Prof. reg.
M. Claudius Bazin.